



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Aliquot Orationes piæ ac deuotæ, de passione Domini nostri Iesu Christi,  
quæ huic secundæ editioni accesserunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Aliquot Orationes piæ ac deuotæ, de passione Domini nostri Iesu Christi, quæ huic secundæ editioni accesserunt.

## P R I M A.

*Oratio ad Patrem leuada infra missam, de oblatione corporis Christi, de merito passionis eius, & de nostrâ resignatione.*

1. **R**ESPICE clementissime Pater de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, super sacrificium acceptabile tibi. Intuere sacrosanctam hostiam vnigeniti Filij tui, quam offert vultui tuo pro nobis. Ipse est enim summus sacerdos & verus pontifex, qui non alienam hostiam, sed propriam carnem dedit ad immolandum in ara crucis pro vita sæculi. Propitiare ergo mihi peccatori hodie, per hanc salutarem victimam. Esto exorabilis mihi infirmo homini, multum labili & vitioso, qui non sum dignus respicere cælum, neque calcare terram, quoniam te creatorem meum offendi sapissimè, sepius agendo, loquendo, cogitando contra præcepta tua irreuerenter & insensatè: propter quæ omnia meritò incurri grauissimam indignationem tuam, nec non omnium creaturarum accumulavi mihi inimicitiam. Te enim offenso & despecto, iam vtique iusto iudicio omnis aduersatur creatura peccatori. Sed omnipotens & Deus totius consolationis miserere mihi seruo tuo, ex intimo corde pœnitenti & dolenti. Quoniam ex nihilo factus sum, & in peccatis conceptus, vt fragilis homo cecidi. Parce mihi Domine, parce. Da veniam filio prodigo ad te reuertenti de siliquis porcorum, & stanti ante thronum gloriæ tuæ, & postulanti manum misericordiæ tuæ à mane vsque ad vespem: donec descendat ros gratiæ, & pluuia consolationis super terram cordis mei, quod iam aruit & contabit præ multitudine peccatorum. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te. Scio, quia non propter opera mea facies, si qua fortè videntur: sed propter bonitatem tuam Domine, quæ immensurabilis prædicatur. Amplius autè exaudi me per singulare meritum amantissimi & dulcissimi Filij tui Iesu Christi, qui pro peccatoribus crucifixus est & mortuus, vt omnium peccata sua deleret passione.

2. Recordare alme Pater inæstimabilis charitatis eius, quomodo in mortem tradidit animam suam, vt viuificaret populum suum, qui in nullo sibi pepercit, vt reis & damnatis in æternum

parceres. Meméto amarissimæ passionis eius, quàm grauiæ & indigna suscepit: qualiter ab hora matutina vsque ad exitum suum in cruce pro humano genere laborauit, clamans sanguinis sui effusione pro reconcilandis tibi peccatoribus: vt amicos de inimicis faceret, & de suis profugis adoptionis filios. O summè & venerande & colende Pater, hodie tibi repræsento omnia signa passionis vnici filij tui, cum nostra supplicatione atque suffragio omnium beatorum martyrum, qui eandem passionem specialius imitati sunt. Aspice & cognosce, cuius sunt signa amabilia adoranda per secula. Ecce crux, clauis, lancea, fel, arundo, sponsa, sputa, flagella, corona spinea, sudor, sanguis, alapa, virga, rellis, columna, alba vestis, purpura, & incôsutilis tunica. Ista sunt pretiosa ornamenta & regalia vexilla, quibus ad debellandas aëreas potestates processit vnigenitus tuus in nostræ carnis substantia. Ista sunt arma bellica, quibus mors deuicta est, & humana natura redempta. Per hæc igitur benedicta & gloriosa passionis insignia, dimitte mihi omnia peccata mea. Sit mihi hæc veneranda armatura, & decora, contra omnia vitia & tentamenta singularis potentia. Sit mihi quotidianum speculam & dulcissimum animæ solatium tam dolorosum & flebile spectaculum.

3. Suscipe sanctissime Pater gratissimam hostiã oblati corporis filij tui, quam tu ipse tibi preparasti, ac in sempiternum satisfactoriam, dignam atque sufficientem esse voluisti, ad exhauriendâ omnia peccata, tam contracta quàm voluntate admissa. Suscipe me pariter hodie in sancta oblatione, qua nulla sanctior est & præstantior, quæ tibi venerabiliter offertur per manus sacerdotum tuorum diebus singulis pro viuis & mortuis, ac pro cunctis necessitatibus nostris. Proficiat hæc mihi & omnibus orationibus meis commendatis, quorum necessitas & fides tibi nota est, siue iam præsentis, siue absentes huic solemnæ celebrationi existant. Perueniant ad te preces eorum & deuotio, cooperetur illis ad salutem ineffabilis virtus & efficacia sacramenti, quod diuinitus est institutum, non humanitus inuestigandum, sed piè colendū, fideliter adorandum, firmiter credendum, & vsque ad consummationem seculi continuandum. O pretiosissimum & suauissimum sacrificium, quod tibi æterno Patri pro nobis obtulit cœternus filius tuus, factus & ipse hostia vera, viua, salutaris, vnica, & perfecta: qui erat solus pontifex immaculatus, sanctus & immunis ab omni delicto, non habens necesse prius pro semetipso rogare, & hostiam secundum legem offerre; sed pro debitoribus mortis semel moriens intercessit, non habentibus nec inuenientibus in vniuersa creatura, quid pro delicto suo redderent. Iam igitur non despero, neque vltra desperabo de venia & curatione

xatione peccatorum, quotiescumque etiam me peccatum apprehenderit. Inueni enim, quo lauanus accedam medicum, ad quem sanandus recurram. Scio ubi sit spes mea, & vniuersa consolatio mea. Qui in passionibus & vulneribus Domini mei Iesu Christi, summa salutis totaque ratio spei meae consistit & abundat. Per omnia benedictus sis Deus meus, qui tam magna & immensa diuinæ largitatis beneficia contulisti mihi. Istis namque vehementer me accendis, ad regratiandum tibi & dilecto filio tuo.

4. Sed ô mi Pater fidelissime, quid agam, quia nil dignum in me reperio, aptum dono gratiæ tuæ. Veruntamen bone Pater, cuius sunt omnia dona bonorum, scio, quia nullius indiges, & tamen te parua nostra delectant, si ea deuotè & spontaneè tibi videris offerri. Dabo igitur aliquid, & modicum, quod mihi relictum deperire potest, amoris tuo sacrificabo. Nam tibi oblatum melius mihi manet, & tamen merces futura non deerit tam liberè offerenti. Si auderet quis inhæsitantè se donare tibi, tu te utique redderes illi, fieretque quod ore capitis nostri dictum est: Date, & dabitur vobis. Nunc ergo si digneris accipere, ecce voluntariè meipsum offero, & tuæ dispositioni animam meam & corpus meum fidenter derelinquo. Voluntatem quoque propriam (qua pinguius nil tibi offertur) ex hac hora & deinceps promptissimo corde resigno, quemadmodum dilectus filius tuus Christus Dominus noster suam tibi commisit voluntatem, ut nostram in sua abnegatione obtineret salutem, formam præbens sequentibus se fidelibus breui & pleno sermone, quem dixit: Pater mi, non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua.

5. Hoc itaque exemplo vehementer admonitus te inspirante & iuuante, denuo me resigno, omnibus, quæ mundi sunt renuntio. Carnis desideria despicio, omnes actus & nefaria consilia maligni spiritus abiicio, tuo seruitio me despondeo: tibi adhærere cunctis diebus vitæ meæ concupisco, iam iamque deuotè id agere instituo. Adhuc verò ut plenius perficiam voluntatem tuam, en meam frangere paratus sum per veram obedientiam, quam tibi in prælato meo teacore exhibere. Eius enim voci cum obedio, tibi veraciter obedio. Ergo illius manibus tanquam paruulus in Christo renatus, qui se Baptista sui manibus humiliter inclinavit, gubernandum me submitto. Fratrum quoque meorum consiliis & sermonibus, tota humilitate & pia charitate libens parebo, quos nimirum sanctiores & longè me sapientiores intelligens, iure meæ imperfectioni præfero. Tibi autem eandem imperfectionem meam cognitam esse sciens in defectibus me accuso, atque sanioris emendationis

280 ORATIONES DE PASSIONE DOMINI.  
dationis remedium multa contritione à te exposco: quatenus be-  
neuolentissima manus tua, quæ omnem infirmitatem curat, & o-  
mnem impotentem roborat, meam indigentiam non relinquat.  
Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

S E C V N D A.

*Oratio de recordatione & imitatione Passionis dominice.*

1. **D**OMINE Iesu Christe, qui pro nostra salute pati, crucifigi,  
ac mori venisti, da mihi passionem tuam doloroso corde  
sepius percogitare, & eam constanter posse imitari. Da, vt quid-  
quid aduersitatis, grauitatis, vel iniuriæ mihi obuenerit, de manu  
tua beneuolenter accipiam, & pro nomine sancto tuo aliquid per-  
peti gaudeam, qui tam multas iniurias & pœnalitates innocenter  
pro me tolerare dignatus es. Nempe ad dignè rependendam tibi  
vicem non possent adæquari omnis hominis maledictiones mihi  
illatæ, quanto magis breue vel asperum verbum, seu molestum  
aliquod factum sine mordaci cogitatione perferre debeo. Procul  
igitur omne murmur sit, fileat indignatio, conquiescat suspicio,  
sed magis benigna patientia, humilisque confessio loquantur,  
quòd ampliora mereatur iniquitas mea recipere, quam aliquis  
mihi possit irrogare.

2. Dehinc queso, vt largam mihi infundas charitatem, quate-  
nus plenam indulgentiam & compassionem deuotam, precer &  
excusationem debitoribus meis reddam, nec non gratiarum a-  
ctiones pro magnis lucris patientiæ persoluam: quoniam tuus  
debitor sum in valde multis lugendis excessibus. Exceptis enim  
beneficiis, vnde tibi debitor sum in quibuscumque sufficio, imò  
vltà quàm sufficio, adhuc reuera pondus peccatorum meorum  
præteritorum & quotidianorum grauibus me debitis admonet,  
cuius tamen confido vt pars maxima solutionis erit sustinentia  
& dimissio iniuriarũ, & supplex oratio pro aduersantibus. Exem-  
plum namque mihi reliquisti memoriale, qui pro crucifixoribus  
exorasti, ne perirent. Vtinam & pro me peccatore Patrem nunc  
exorare digneris, vt dimittat mihi quidquid conscientia meruit,  
& adiciat, quod tenuitas mea petere non præsumit. Tu es enim  
aduocatus meus iustus & fidelis apud Patrem, qui tuo sanguine  
me redemisti, tuoque exemplo ad viam perfectæ humilitatis,  
mâsuetudinis & paciētia dulciter inuitasti. A diuina me ergo Do-  
mine Iesu spes mea & refugium in die tribulationis, vt non decli-  
nem à via patientiæ quacunque aduersitate exurgente: sed ad  
te incunctanter recurram pro iuamine & ereptione necessita-  
rum mearum. Multa namque sunt huius vitæ aduersa, quæ  
susti-

sustinere non est possibile. Ego non sufficio, notum est tibi quando in minimis me probas, nec alium quàm infirmum hominem me inuenio.

3. Quapropter oro te Domine, aperi mihi thesaurum miserationũ tuarum, & illud mirificum maximumque passionum tuarum reuela mysterium, in quo omnium infirmorum & tribulatorum continentur remedia, ex quo etiam sæpe nouellus deuotionem, & deuotus consolationem multam haurire consuevit. O Iesu fons gratiarum: fac intrare cor meum amaritudinem calicis tui, quæ omnem grauitatem mihi conuertat in dulcedinem. Perfora quoque manus & pedes meos clauis charitatis tuæ, vt nec in opere, nec in affectu meo quicquam vanitatis vel carnalitatis vltra viuat. Sed viue tu in me, & ego in te: nihilque mali interueniat, quod nos separet. Nullæ ergo delitiæ, nec vllæ me poenæ soluant à tua dilectione: sed siue ad mortẽ, siue ad vitam vocaueris, quocumque volueris Domine, illuc pergam in nomine tuo. Sapiat mihi beata crux tua, & taliter sapiat, vt meam libenter feram. Suscepi illam spontaneè æternæ salutis intuitu, tamen portare non valeo, nisi continuò manum tuam apposueris. Te verò adiuvante & ducente, leue est onus tuum, fitque planum ac calcabile omne asperum carni. Nunc ó dulcissime Iesu, salus & virtus animæ meæ, confirma me pusillum in hac hora verbis oris tui, & præcipuè in recordatione passionis tuæ me totaliter accende, & ad te intimè trahe; vt cum frequentatione excitationis fapor crescat deuotionis: vt cum debita laudatione, fructus effulgeat piæ conuersationis. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuus & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

## T E R T I A.

*Oratio ad compatiendum Christo, & dilectæ matri eius.*

1. FLECTO genua mea ad te Domine Iesu Christe, quem pro me in cruce cerno suspensum. Saluto te ó veneranda imago crucifixi Domini mei Iesu Christi, cuius sanguine redẽptus sum de manu inimici. Salue saluator mundi, qui hanc amarissimam mortem pro me sustinuisti. Peto te dulcissime Iesu, præsta mihi secundum multitudinem misericordiæ tuæ, tibi in omnibus poenis compati, nec non sanctissimæ matris tuæ doloribus intimo cordis affectu condolere, & cum beatissimo Ioanne Apostolo largiter sub cruce flere. Etenim solatiofum mihi nunc fore scias, si possem etiam exteriores lachrimas, præ magnitudine compassionis, coram imagine crucis tuæ fundere, qui pro me precio-

sum sanguinem abundè sapiùs effudisti.

2. Sed quia à te omne donum bonum, imple hoc desiderium meum ad honorem tuum, vt & memoria sacratissimæ passionis tuæ, cum singulari recordatione gloriosæ matris tuæ, adiuncto semper charissimo discipulo tuo Ioanne eiusdem fidelissimo custode, ex hac hora & deinceps in me feruentius accendatur, copiosius dilatetur, intimius sentiatur, perfectius moribus & vita teneatur. Sit insuper crucifixio tua speculatio mea, dolor matris tuæ consolatio mea, fletus sancti Ioannis intercessio mea. Non sit sine interna compassione mentis, aspectus mortis tuæ tam deformis. Quotiescunque igitur tuam passionem recolo, aut figuratum in Cruce video, da hoc interius cordi meo sentire, quod multis deuotis dedisti experiri. Qui uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

#### Q V A R T A.

*Oratio ad Christum.*

1. **L**Aus & gloria tibi semper sit Domine Iesu Christe, qui pro me peccatore descendere dignatus es de cælis, & arborem ascendere Crucis, ad satisfaciendum pro peccatis meis, in qua nudus & toto corpore vulneratus tanquam vilissimus latronum inter latrones pependisti: qui es speciosus forma præ filiis hominum, verus Dei filius, rex regum, & Dominus angelorum. Benedictio & claritas, gratiarum actio, & vox laudis tibi sit agne Dei mitissime: quoniam dignus es accipere omnem honorem, propter passionem mortis & multimodam quam passus es in cruce confusionem. Accipe igitur humiles has laudes, deuotas gratias, mentales genuflexiones, & pia oris mei obsequia, pro summa & immensa charitate mihi in passione tua ostensa. Reuera tibi gratias agere teneor pro omni quod uiuo, quod sapio: sed multo intentius & copiosius, quòd tuo pretioso sanguine redemptus sum. Magna bonitas, quia me non existentem condidisti; sed maior charitas superlucet, quòd perditum reformasti. Et si in te bonitas & charitas æqualis ac vna semper fuit, mihi tamen charior & utilior visa est charitas, quæ ita superabundauit.

2. O quanti me existimasti, quem tam charo commercio redemisti. Dediti certè preciosissimū quod habuisti; nam te preciosius nihil est, & ecce te totum pro me tradidisti. Quapropter obsecro te benignissime Iesu, fons bonitatis & charitatis, vt hæc à memoria mea non defluant: sed semper imago crucifixi corporis tui mihi resplendeat, & singula plagarum loca amorem tuum cordi meo profundè imprimant, signa enim sunt validissimæ dilectionis tuæ ad me. Nam omnia hæc pro me suscepisti, pro te autem

tem nihil horum merueras, qui peccatum non fecisti, nec maculam quidem peccati contraxisti; in quo dolus non est inuentus, nec causa mortis, sicut pro te loquebatur Pilatus. Sed ideo oblatus es, quia tu ipse voluisti, qui ad redemptionem totius mundi te missum cognouisti. Innocenter ergo passus es, & atroci crucis supplicio interemptus: sed tamen infructuose non es mortuus, quia per crucem & per mortem tuam omnes liberati sumus. O beata & nimium amabilis Crux, arbor decora atque salutifera, in qua pependisti vita mea pro me mortua: ut mortem occideres, & vitam mihi donares. O quam felix & preciosa mors ista fuit, quæ mortis auctorem vicit, infernum exorsu spoliavit, paradisi ianuam referauit. Benedicta sit passio tua Domine Iesu Christe, crux tua & mors tua, quæ antiquam parentum nostrorum maledictionem in caelestem conuertit benedictionem. Benedicta sint omnia membra tua, in quibus passus es: & omnia vulnera tua tibi inflicta, æternaliter sint benedicta. Nam ipsa sunt mea maxima medicamenta, contra quolibet vitia, & optima solatia inter aduersa.

3. Iesu bone, dulce est tecum esse in Cruce, quod magis opto habere, quam omnes solationes naturæ. Melius est mihi tecum esse in magnis doloribus, quam sine te in summis mundi honoribus. Oh mihi est, quod patior, cum te in cruce contemplor. Sub hac sedebo & lugebo, considerabo & pensabo, quanta passus sit pro me Deus meus. Multi Sancti multa passi sunt, sed tu sancte sanctorum amplius. Nam tenerrimum & dignissimum corpus tuum, à summo vsque deorsum; multiplicibus plagis & vulneribus erat dispunctum. Quæ etsi Euangelistæ non recitant, quibusdam tamen deuotis fuisse reuelatum multi affirmant, sicut his duobus versibus continetur.

*Septuaginta quinque, quater centum, millia quinque:*

*Tot fertur Christus pro nobis vulnera passus.*

Benedictum ergo sit semper sanctissimum & preciosissimū corpus tuum, sanguineis guttis ornatum. Nam variis incisionibus venarum perforatum, suæ effusionis non potuit tenere modum. Verè tu es dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Candidus in virgine, rubicundus in cruce, electus in paternæ gloriæ <sup>† concessione.</sup> corpora sanctorum sanctificans, omnes electorum animas à peccatis emundans. Aue nunc sanctissimum corpus dominicum, natum ex Maria virgine: verè passum immolatum in cruce pro homine: sepultum ab hominibus in corde terræ, resuscitatum à Deo tertia die.

4. Preciosum est mihi hoc venerabile corpus tuum, Spiritus sancti



sancti operatione de purissimo sanguine Virginis Mariae formatum: sed pretiosius mihi efficitur, quia pro me tam deformiter est in passione martyrizatum. Non mihi sordet facies tua, olim tam amabilis, nunc autem tam contemptibilis & penè incognoscibilis effecta, propter immunda sputa & validos percutientium ictus, ac irreuerendos capillorum tractus, cum velatione illudentium, & multa ignominiosa tibi improperantium. O gloriosa facies Dei mei, quam Angeli videre desiderant; & quæ prius quandoque refulisti in monte Tabor, vt sol, quomodo nunc sic denigrata es, vt nulla, in te appareat species neque decor? Propter me denigrata es inclyta Dei facies in terris, vt dignus efficerer contemplari diuinam faciem tuam in caelis. Ergo illa foeda consputio formosi vultus tui, lotura & purgatio facta est foeditatis animæ meae. Insuper & omnia, quæ passus es, pro mea satisfactione & redemptione gesta sunt. Erit itaque summa sapientia mea ista meditari, & configurari in carne passo. Expoliatus es conditor orbis terræ, vt ego vestimentis induerer perennis gloriae. Denudatus es, vt me ab omnibus quæ mundi huius sunt nudarem, & te sine retardatione sequerer. Illusus es, vt me ab illusione daemonum eriperes. Contemptus es, vt me doceres amare contemptum & abiectionem hominum. Accusatus es, ne me leuiter excusarem: sed quam multa falsa pertulisses cogitarem. Condemnatus es, vt æternam damnationem euaderem. Ligatus es, vt à peccatorum vinculis absoluerer. Flagellatus es, vt æterna flagella cum reprobis non sentirem, & temporalia flagella cum electis patienter ferrem. Coronatus es spinea corona, vt ego immarcescibili coronam dignus essem coronari: si tamen tibi compatiar, tanquam membrum suo conforme capiti. O rex æternæ gloriae, quam acutam & despectam coronam pro me vilissimo peccatore portasti. Et quomodo possum sine ingenti cordis dolore cogitare benedictum caput tuum spinis obsitum, arundine percussum, ac omni populo in derisum ostensum?

5. Eductus es extra ciuitatem Hierusalem ad crucifigendum, vt me reduceres in caelestem Hierusalem ad perpetuè iustificandum. Crucem proprijs humeris baiulasti, vt me ipsum abnegare, crucem tollerem, & post te venirem. Affixus es cruci, vt mihi mundus crucifixus esset, & ego mundo. Eleuatus es toto corpore à terra, vt ego toto corde eleuarer ad superna. Aceto & felle potatus es, vt peccatum quod gustu vetiti cibi in mundum venit, amaro poculo expiaret; & vt tuæ felleæ potationis inter epulas recordarer. Derelictus es à Patre in crucifixione, ne ego desperarem in tentatione vel gratiæ subtractione. Derelictus es etiam à discipulis tuis, vt spes mea non figeretur in hominibus.

Com-

Compassus es tamen cordialiter matri & discipulorum infirmitati, vt proximorum semper condolerem necessitati. Pro crucifigentibus rogasti, vt ego in me peccantibus benignè indulgerem, & tibi omne iudicium committerem. Post hæc testamentum fidele statuisti: nam animã Patri, matrem discipulo, discipulumq; matri commendaſti: vt & ego instante mortis articulo, animam meam tibi commendarem; & sanctissimæ matris tuæ præsentiam specialiter inuocarem. Cuius clementiam humiliter inuoco, vt cum beato Ioanne Apostolo tuo & cæteris sanctis N. N. mihi assistere dignetur morienti, sicut tibi assistit in cruce pendenti. Enimvero tuus fuit eius dolor, & tuus dolor nihilominus eius erat, cuius cor compassionis gladius penetrauit. Cumque vidisses matrem & discipulum stantem quem diligebas, nequaquam descendisti de Cruce propter eos, scilicet in obedientia Patris tui vsque in finem permanisti: præbens mihi exemplum perseverandi in via & in lege tua, quam nunc relictis parentibus & amicis cœpi ambulare. Ambulabo in ea duce gratia tua, & si persevera- uero tecum, erit sine dubio merces mea æterna.

6. Sicut ergo tu Domine Iesu, nec propter matris tuę fletus, nec propter Iudæorum opprobria cõsensisti de Cruce descendere: sic nec ego moueri debeo cuiusquam blando sermone vel consilio, aut etiam vano terrore contrariorum à statu sanctissimæ seruitutis tuæ: sed tecum viuam, tecum moriar in cruce: nec mihi contingat parcere animæ meæ propter te, qui animam tuam pro me posuisti, vt non perirem in æternum. Inclina itaque nunc ad me caput tuum, in signum præcipui amoris: & ego cor meum ad te, in signum intimæ compassionis: & simul moriatur anima mea cum anima tua, vt vbi tu es, illic sit & ipsa; nunc per desiderium, post per præsentiam & beatificam fruitionē. Aperi quoque mihi latus tuum ad pausandum in eo. Ideo enim apertum est, vt ego intrarem, & ab æstibus vitiorum curarer. Profluit ex eo sanguis & aqua; aqua, vt lauarer à contractis maculis & priuatis; sanguis, vt redimerer à iugo diaboli & pœnis inferni. Eia suscipiã te iam de cruce cum singulari reuerentia. Ponam te dulciter inter brachia mea, qui non habuisti, vbi caput tuum reclinares, dispunctũ corona spinea. Plangam te quasi vnigenitum Patris, & primogenitum virginis matris, antequam ponaris in monumento ab oculis meis: & considerabo omnia quæ fecisti, docuisti, & passus es in mundo, ab hora natiuitatis tuæ vsque ad horam mortis & sepulturæ tuę. Exinde mihi sit tua reuerenda sepultura, omnium mundanorum perfecta clausura. Hic requiescam, hic habitem, hic cunctis tumultibus exclusis tecum sepeliendus ingrediar; vti tibi soli vnitus, toti mundo mortuus sim ac sepultus. Amen.

QVIN-

## QVINTA.

*Oratio ad Christum.*

1. **S**CRIBE Domine Iesu Christe vulnera tua in corde meo, preciosissimo sanguine tuo: vt in eis legam tuum dolorem & tuum amorem, ad omnia terrena & ad omnia aduersa pro te libenter sustinenda. Fac me (quæso) participem sacre passionis tue & acerbissimi doloris, quem sustinisti in graui & longa appensione crucis. Tunc enim benedictæ manus, ab impijs concluduata, & speciosissimi pedes tui ligno durissimo sunt affixi. Tunc enim totum corpus tuum ita extensum est, vt omnia ossa tua dinumerari possent. Tunc denique, postquæ emisisti spiritum sanctissimum, latus tuum lancea militis tam validè perforatum est, vt continuè exiret sanguis & aqua, in redemptione totius mundi.

2. O inestimabilem charitatem, vt damnatum seruum redimeres, temetipsum tantis supplicijs exposuisti; & innoxiam mortem, ne eternaliter morerer, libentissimè suscepisti. Ego Domine peccaui; ego hoc grande peccatum feci; ego sum reus omnium vulnerum tuorum. Quid igitur retribuam tibi, pro omnibus, quæ retribuisti mihi? Si dederò me, & omnia mea, quæ vnquam habui & habiturus sum, pro charitate hac maxima, quam fecisti mecum, quasi nihil esset. Etsi tradiderò meipsum tibi in perpetuū seruum, non poterit dignum esse precium. Insuper si totum mundum haberem, ipsumque dare possem, adhuc non esset digna retributio, pro minima gutta pretiosissimi sanguinis tui, quem pro me in cruce effudisti. Vna enim gutta pretiosissimi sanguinis tui, vniuersum mundum expurgare potuisset. Veruntamen non sufficit amor tuo dare congruentiam satisfactionis, sed ex abundantia expendisti pretium, quo totum mundum saluare decreuisti, in quo etiam mihi spem vnicam reliquisti. Nam ex quinque corporis tui vulneribus, voluisti largissimè emanare dulcedinem charitatis tuæ, quam ab æterno habuisti cum Patre absconditam, sed etiam specialiter passionis tempore in Cruce moriens reuelasti.

## S E X T A.

*Gratiarum actio.*

1. **G**RATIAS itaque nunc refero tibi benignissime Iesu, pro omnibus doloribus & opprobrijs, pro vniuersis quoque rubicundis vulneribus tuis, quibus repletus es à planta pedis vsque ad verticem, pro mea reconciliatione & reductione in æternam gloriam tuam. Sed heu Domine, quia dignas tibi referre gratias non

non sufficio. Siquidem tam excellens & pretiosa est sanctissima passio tua, vt si omnium creaturarum etiam virtutes haberem, adhuc plenè tibi regratiari nequaquam sufficerem. Excedit enim omnium hominum merita & vota: superascendit omnium creaturarum dignitatem. Attamen, ne omninò ingratus sim, saltem in modico regratiari tantæ charitati & tam amaræ passioni tuæ desidero per verba deuotæ orationis & meditationis, quæ tu inspiraueris, & cordi meo sapida feceris: quatenus & ex hinc fructus multiplex proueniat animæ meæ, atque tibi gratiarum actio cum perfecto amore resultet sine fine. Memento mei Domine Iesu in regno tuo, qui latroni confitenti in Cruce respondisti: *Hodie mecum eris in paradiso.* Amen.

## FINIS ORATIONVM.

*Plures huius argumenti orationes inuenies Tomo secundo, in opusculo septimo breui.*

## VIGESIMA-OCTAVA.

*In festo palmarum de processione Christi, & sex generibus hominum obsequentium Christo.*

**P** *Veri Hebræorum tollentes ramos oliuayum, obuiauerunt Domino. Matth. 21.*

Contemplari delectat in præsentī festo palmarum, solemnem sanctæ Ecclesiæ processionem, nec non deuotionem populi Iudæorum obsequentium Christo, cum gaudio magno & honore. Nam quod Iudæi olim corporaliter Christo exhibuerunt in carne viuenti, nos spiritaliter eidem debemus exhibere iam in cælo regnanti. Et tantò affectuosius hoc agere decet cum hymnis & canticis deuotis, quanto interiora cordis nostri obsequia Deus plus diligit, & in supernam Hierusalem nos perducere cupit. Propter hoc enim maximè venit in terras, vt terrarum incolas reuocaret ad cælos. Propter hoc properauit ad locum passionis, vt nobis pararet sedem felicissimæ mansionis in cælis. In cuius signum etiam afinam & pullum sibi adduci præcepit, & modestè equitando in Hierusalem ciuitatem terrestrem eos perduxit, quæ cælestis beatitudinis imaginem continet: vt nos speremus per Christum reducendos in vitam æternam cum Angelis sanctis: qui animale corpus nostrum suscitabit de puluere terræ, & immortalitatis gloria induet in futura iustorum resurrectione. Et ad hoc promerendum quis dignus esse poterit? Perfectò qui se humiliauerit sicut paruulus in numero puerorum Hebræorum; & factus fuerit tanquam pium iumentum sub pedibus Christi; paratum se exhibens omni loco & tempore.

ad